

factionem et emendam debitam et inventam fieri debere de iure. Qui Petrus ad predicta respondit quod ad dictos indices ire volebat sed potius recusabat et recusavit dicens quod non intendebat nec intendit coram eis alicquod ius suum prosequi vel litigare, sed paratus erat rem solum recipere satisfactionem a domino duce et comuni Venetiarum de predictis si eam sibi facere volebant ut petebat et petit. Qui dominus Dux cum suo consilio et pro comuni Venecie iterato protestatus fuit versus dictum Petrum presentem et audientem ac intelligentem quod per ipsum dominum ducem nominibus quibus supra non stetit nec stat nec stabit quin eidem Petro omni tempore faciant seu fieri faciant breve et summarium iusticie complementum et satisfactionem debitam, et inventam sibi fieri debere de iure secundum formam litterarum pro parte suprascriptorum ad ipsum dominum ducem directarum. Sed stetit et stat per ipsum Petrum quod contra ius et contra formam dictarum litterarum recusavit et recusat dictam suam prosequi et recipere rationem et breve iusticie complementum et satisfactionem inventam sibi deberi de iure sicut et alias pluries sibi oblata recipere recusavit.

Ego Bonincontrus imperiali auctoritate notarius predictis interfui et rogatus scripsi.

282.

1322.

*Altra lagnanza di Pietro Quatrolingue.*

Exemplum petitionis Petri de Quatrolenguis burgensis domini Regis Francorum.

Magnifico et Excellentissimo Domino Johanni Superancio Dei gratia Venetie Dalmatie atque Chroatie duci spectabili, domino que quarte partis et dimidie totius imperii Romanie, et honorabili atque egregio generali concilio perinclite civitatis predictae, pro parte Petri de Quatrolenguis burgensis domini Regis Francorum illustris significatur humiliter et devote, quod cum Marquisius